

1764 Siemasko J. oratio...

ORATIO
DIE QUA SACRIS CEREMONIIS
INAUGURATUS EST
STANISLAVS
AVGVSTVS
IN ORTHODOXUM
POLONIARUM REGEM
DICTA
IN SACELLO PUBLICO CLER. REG. SCHOLARUM
PIARUM.
A
IULIANO SIEMASZKO
PROFESSORE ELOQUENTIAE IN VILNENSI
NOBILIUM COLLEGIO.

VILNAE

Typis S. R. M. & Reipublicæ Scholarum Piarum Anno
Dominici. 1764.



IMPRIMATUR.

Aetum Vilnæ die 6. Mensis Decembris Anno
Domini. 1764.

A. HORAIN. Ep. Hieronen-
sis Ref. M. D. L.
A. V. Libr. Cens.
mppr.

XVIII. 2. 520



S. I quis est, Auditores; qui novitate rei per-
territus, miretur; nos, qui taciti hucusque
delitescentes, vix unquam alias publica hoc
loci indieta concione verba feceramus;
nunc, ad cohonestandam huius tantæ diei
celebritatem, studiumque nostrum Serenissi-
mo Principi testandum, hac quo magis Vestrum omnium
expetita præsentia ad dicendum accedere: is, si & Instituti
nostrri rationem, & caussas, quæ nos ad id excitarunt, al-
tius perpendet; non modo nullum admirationi relinquet
locum; verum & consilium hoc nostrum in tantum proba-
bit; ut alia nōs ratione haud quaquam procedere potuisse,
jure optimo asleveret.. Cum enim felicissima hæc Optimi
Principis inaugratio, eodem, quo omnes alios, nos quoque

A.

ac-

ac ipsas nobilissimas litteras perfundat solatio; eadem futu-
ræ in posterum felicitatis spe recreet, ac fiducia: quidni nos
etiam, quos vel ipsum Scholarum Piarum nomen ad litte-
rariam Rempublicam quoquomodo facit pertinere; quidni inquam,
nos etiam Regi nostro Serenissimo, Studiorum
Fautorij Amplissimo, nostro, ejusdemque litterariæ Reipu-
blicæ nomine plausum faciamus? quidni exuberantem gesti-
entis lætitiae nostræ sensum publice declaremus? cum præ-
sertim nos earundem sors litterarum, uti ad interitum ver-
gens mœrore; ita suum reassumens splendorem solatio; non pos-
sit non replere. Et hæc est, Auditores Ornatissimi præcipua
causa; hoc incitamentum, quod nos ad publice de Se-
renissimo Rege nostro dislerendum commovit: idque eo ve-
rius; quo ab omni orationis fuso, exquisitoque verborum
delectu longius est ac remotius: ut scilicet nostrum Optimo
Principi studium testemur ac obsequium: ut singularem to-
tius Litterariæ Reipublicæ ex felicissimo Illius ad Thronum
ascensu prædicemus lætitiam: ut demum Iuvenes hos Clা-
rissimos, hunc Litvanæ Nobilitatis florem lectissimum, ad
liberalium artium studia eo alacrius incendamus; quo certius
illi sub sapientissimo Optimi Principis regimine, suum litte-
ris honorem, suam litteratis existimationem poterunt polli-
ceri. Quod vero hæc, gravissima illa quidem, at certe
nunquam non optanda, dicendi provincia mihi fuerit de-
mandata: id mihi summe gratulor; id mihi maximo, quam
possum, duco honori; hoc ad dicendum argumento nihil
mihi gloriosius, nihil honorificentius contingere potuisse, pro-
be intelligo. Neque certe vereor; ne ieiuna hæc, atque
impolita Oratio sua a Vobis privetur excusatione: cum præser-
tim in eo me videam versari argumento; cui pro dignitate tra-
etando, ne ipsis quidem disertissimi sufficerent Oratores. De Prin-
cipe

cipe enim, ac Principe Omnia[m] Optimo, ac sapientissimo
disterere: quid est? cuius tantum ingenii flumen, tanta elo-
quentiae ubertas; ut parem Illi adserre se posse confidat o-
rationem? Quare si quidquam erit, Auditores Ornatissimi,
quod aut Serenissimi Regis dignitati, aut huic tantæ hodiernæ
diei solemnitati, aut Vestræ, Virorum scilicet Clarissimorum,
præsentia ex æquo respondere non possit: veniam vos da-
turos, tum gravitati argumenti, tum etiam minus exper-
tae meæ ætati, Vestræ innixus benevolentia, facile confido.
Agite proinde Auditores: gestit enim Oratio jam mea suam
Serenissimo Regi laudem prædicare; Suam Rei Litterariæ fe-
licitatem gratulari; litterisque ipsis, ac iis deditis viris, debi-
tam sub sapientissimi hujus Principis regimine gloriam ac
existimationem certo certius polliceri.

Mirari satis non potui, Auditores Ornatissimi, quid
rei esset; quod in hac tanta litterarum luce, ubi illas per
universam prope Europam florentissimas esse, summumque
gloriæ jamjim attingere cernimus apicem, in nostra dun-
taxat Patria retrocedere, & quasi ipsum, ut ita dicam, interi-
tus sui diem expectare videantur. Quonam tam improbo, sæ-
pius ex me ipse quærebam, quonam, inquam, tam impro-
bo, tamque maligno aut genti nostræ, aut ipsis litteris e-
venerit fato, ut nos, qui Maiorum nostrorum tempore in
litterario luco tot alias gentes longo post nos reliqueramus
intervallo; nunc, ea ætate, qua omnes regiones in tantum
nobilissimis seditas cernimus disciplinis; ut quasi de palma
in iis præcipienda vicissim contendere videantur; nos inquam
soli hac ætæ rudiiores indies, ac minus periti ab omnibus
audiamus? Ergone jam occulto aliquo aut Superum, aut
ipsius naturæ effectum est judicio; ut apud alios litterarum
studia maiorum semper gloriæ ac perfectionis adsequantur

gradum, apud nos e converso ex alto ad infima proruant,
ac tandem prope penitus jaceant consepultæ? Percurramus
dumtaxat paulisper alias florentissimas nunc litteris regiones:
num vel de virorum in omni studiorum genere hundequa-
que versatissimorum aut numero, aut celebritate: vel de
librorum ab Illis editorum, tum copia, tum omnibus nu-
meris absoluta perfectione: vel de facillima discendi docen-
dique methodo; vel demum, ut alia omittam, de Academiarum
frequentia, cum Anglia, Gallia, Italia, Germania,
totque aliis regnis in arenam descendere poterimus?
Quem quæso, nostrum, non quidem eruditione, sed scri-
ptis monumentisque intelligo, quem, inquam, nostrum
in Theologicis Petavio, Melchiori Cano, Natali Alexandro;
in Philosophicis Newtono; im Mathematicis Volfio; in Hi-
storicis Rollino, Hibnero, Puffendorfio, totque aliis viris
clarissimis obijciemus? Russorum gentem, neque enim jam
sine dolore loqui possum; Russorum, quæso, gentem; Pa-
trum adhuc nostrorum memoria, barbarem illum, rudem,
omnisque litteraturæ prorsus expertem, altius consideremus:
quo nunc illa nomine apud omnes audit litteritos? quot
viros omni doctrinæ laude cumulatissimos in sui Petropoli-
tana ac Kijoviensi retinet Academiis? quot authorum classi-
corum, ut communi eos appellem vocabulo, sua lingua
redditis gloriatur libris? dum nos, in tanta secundissimo-
rum ingeniorum ubertate, tam tritam ad capessendas litte-
ras a Maioribus naeti viam, & ea librorum i nostratisbus
editorum laboramus penuria & tam paucos hac aetate;
studiis, ita ut deceret, utque innata eorum expeteret ca-
pacitas, deditos numeramus viros: & denique, si quas,
ac illas quidem perpaucas, in Patria publicas vlemus Scho-
las: eæ certe in illo constitutæ sunt statu; uix privati

Gymna-

Gymnasioli nomen iure sibi valeant vendicare. O nos miseros, neque unquam satis deplorandos! eone tandem devenimus infortunii; ut qui alias hucusque barbariei insimulabamus; foli nunc ab iisdem, vix non prorsus rudes, atque imperiti judicemur. DEUS immortalis! neque enim hæc citra tua inscrutabilia illa fieri posse existimo judicia; quod tantum in Te, vel nos, vel Maiores nostri commisere nefas; ut illud hac tam atroci delendum judicares pæna? aut si jam occultum aliquod gentis crimen hac nonnisi punire ratione Tuæ placuit voluntati, quid nobilissimæ peccarunt litteræ; ut illas debita sibi laude in ea prives regione, in qua ob innatam Civitum capacitatem, summum illæ sibi gloriæ culmen non possent non promittere?

Sed quid aliunde huius rei repetimus causam? quid in Deum Omnipotentem deplorandam hanc apud Nos litterarum referimus conditionem? nobis id potius ipsis adscribamus: in Nos huius Optimarum artium infelicitatis devolvamus culpam: neque enim hæc ruditas pæna alicui illata criminis, sed ipsum verius crimen suam olim a Deo expetitum pænam est judicandum. Exiguus Procerum ac ipsius Principis in litteras amor; denegatus debitus & litteris honor, & litteratis existimatio; substracta iisdem pro laboribus præmia; hæc verissima est causa; hoc principium, oblivioni ac sepulturæ deditorum apud nos studiorum. Cum enim duo sint; quæ unumquemque litteratum ad opus aliquod allicere soleant; præmium scilicet atque gloria: horum si utrumque desit; ipsos etiam litteratos, aut prorsus defuturos; aut saltē operi se subducturos, tam est certum atque perspicuum, quam quod maxime. Ac ego quidem ipse Auditores, nisi me Instituti ratio, ad quod singulari Dei miserentis beneficio sum vocatus; nisi, inquam, me huius Instituti ratio ad

ad capessendas nobilissimas artes compelleret, primus talia
mecum tacitus perpenderem: Quid mihi cum liberalibus
eiusmodi, quas tantopere commandant, disciplinis? quid
proderit florem ætatis meæ non sine valetudinis, ac ipsius vitæ
detrimento in iis consumere? quo me convertam cum perfecta
quantumvis Theologiaz, Philosophiaz, ac alterius cuiuspiam
facultatis cognitione? num illa mihi apud Principem ac alios
Magnates gratiam ac favorem poterit conciliare? num ad
altiores me dignitatum elevabit gradus? num vel minimum
quidpiam rerum ad vitam sustentandam necessiarum præ-
bebit? eam mihi potius sequendam viam ipsa sana præci-
pit ratio; quæ vel me ipsum, vel domum saltem meam,
aut ad commodiorum lautioremque vitam, aut ad aliquam
saltem perducere posset existimationem. Hæc Auditores,
si quisque pro se cogitet; uti certe cogitare quemque re-
bus suis providum, non verosimile modo, verum etiam cer-
tissimum judico; hæc inquam si quisque pro se cogitet: de-
sudet jam assiduus solertissimorum quantumvis Professorum
labor; insomnes ducant illi noctes, ad quam facillimam in
litteris declarandam viam; omnes, quos possunt, ingenii sui
intendant nervos; quo illius ad studia excitent alacritatem;
stimulent; obsecrent; increpent; surdo canetur fabula; neque
ullo magis proficient; ac ille se profecisse gloriatur; qui navi-
ganti in Indias divitiarum colligendarum causa Mercatori,
ut Magellanicum curiositatis gratia cum navi transeat fre-
tum, velit persuadere. Quis enim miles, hosti sese oppo-
siturus in prælii descenderet campum, nisi aliqua saltem aut
præmii aut spolii capienda spe trahatur? quis Pater familias
diu noctuque in excolendo desudabit agro; nisi uberrimæ
messis expectatione ad tantos labores excitetur? Adsit sua
litteris laus ac commendatio; adsit debitus eruditis viris apud
Prin-

Principem, aliosque Magnates favor ac existimatio: adsint: justa eorum laboribus præmia: tum denique genti studiisque nostris injuriosam accusabimus sortem; nisi certa commodioris in posterum vitæ spe excitata Iuventus litteris ea, qua par est, incumbat sedulitate; nisi & eruditio, quos habemus, viri, de æqua sibi gloria, laboribus vero suis mercede minus solliciti, collustrandæ scriptis ac monumentis, tam Patriæ, quam ætati suæ totum tempus velint impendere. Laudare absolutam operis perfectionem; mirari vastum authoris ingenium, quid prodest? aut qua ille ratione suos labores, suas compensabit vigilias; si plurimis officiorum excipiatur formis? quisque enim sibi in posterum consulere, quisque sorti suæ prospicere contendit; & honestissimus quivis partim commoda vitæ, partim laudis atque gloriæ ducitur cupiditate. Quare mirari nemini subeat; si Majorum nostrorum ætas in tantum eruditionis gloria per universam floruerit Europam; si tot litterarum laude clarissimos in sinu suo educarit viros: quodsi nostris etiam temporibus pares Stephani, Casimiri, ac Sigismundi divinitus obtigissent; qui tanto & ipsas litteras, & iis deditos viros prosequerentur favore; qui maximis propositis præmiis e longinquis nationibus litteratos conducerent; amens sim, ac hujusmodi rerum iners; nisi nos quoque plures in gente nostra Cluverios, Copernicos, Zamoyscios, Orychovios ac Siemianovios numeraremus; litterarumque laude non æquaremus illam modo, verum etiam longe infra nos jacere vide remus.

Sed singulare Dei Omnipotentis providentia venit jam tandem, Auditores; venit felicissimum illud tempus; quo nobilissimæ litteræ e densissimis, quibus hucusque delituerant, erutæ

B.

tene-

tenebris, meliorem in dies aspicere incipient lucem. Hac in nos certa atq; infallibili spe felicissimus Principis nostri ad Thronum recreat ascensus. Rege namque Sapientissimo; Rege in omni studiorum genere versatissimo; equis, quæso, est, qui ipsa quoque studia non omnino! florentissima esse devere asseverabit. Sapientem enim esse, & litteras debito prosequi amore; tam ego conjunctum esse judico: ut unum sine alio subsistere haud quaquam possit. Serenissimi vero Principis absolutam in litteris perfectionem quis non suscipiat? quis non admiretur? Multa profecto essent, Auditores; quæ ad declarandam Ejus sapientiam possent hoc loci proferri; quæve me silentio præterire vel ipsa propensissima in Optimum Regem non sineret voluntas: sed me temporis ratio, ne vestra in tantum abuti videar patientia; vela quantocius hujus orationis jubet contrahere. Testes vero Ejus sunt luculentissimi, tot ab Illo cum laude administrata officia; in quibus ea se Ille gessit ratione; ut sive ingenii spectes acumen, sive in enodandis difficultatibus; animi promptitudinem, sive demum perspectam in agendis prudentiam; nullum non admirabere, nullum satis prædicabis. Testis est celeberrima illa ad Aulam Petropolitanam legatio; qua, cui ignotum, in quantum sua Ille perfectione cum totius Russici Senatus, tum imprimis Augustissimarum defunctoræ Elisabethæ, ac modernæ feliciter regnantis Catharinæ Rossiae Imperaticum sibi devinxit animos? Testes denique, nunquam digne laudandi Illius sermones; quos Ille jam in privatis Terrarum Conventibus, jam in publicis Convocationis Comitiis sapientissimos illos certe ac perfectissimos habebat; ac is potissimum, quo Varsaviæ suæ ad Thronum Electionis ab Ordinibus recipiens Diploma, omnibus quot

quot aderant, vel invitis lachrymas expresserit. Sed quid
hæc ego hoc loci manens refero? illi hæc sciunt, illi nar-
rent; quibus aut Eum videre, aut Ei colloqui est concessum.
Et erit aduc quisquam; qui hoc tanto Rege studia litterarum
non suum receptura florem audeat adfirmare? Sapiens est;
num proinde sapientia in regno suo propagandæ non insu-
dabit? Amans Patriæ est; num proinde eam & litteris & litte-
ratis hominibus florere non curabit? Sperandum est, Au-
ditores; neque sine fundamento sperandum; alium abhinc
litterarum fore statum: exurgent certe; atque e tenebris
se proripient eruditissimi viri; quos tot ac tantos nunc de-
litescentes habemus; & jam præmiis allæcti, jam Regis bene-
volentia devinæti, fructum studiorum suorum publicam refe-
rent in lucem. Neque enim credibile videtur; ut Rege &
ipso sapiente, & sapientum amatore; sapientia acquirendæ
cives non insident. Atque quo incomparabilem Ejus in li-
teras ac sapientes viros amorem & propensionem clarius de-
monstrem: liceat mihi pace vestra, Auditores, illud huc in
medium adducere; cuius cum debita grati animi significa-
tione non possum non meminisse. Quoties enim de his ego
cogito; quoties futuram litterarum conditionem; sub sapi-
entissimo hujus Principis regimine altius mecum ipse per-
pendo: toties se mihi primo impetu offert; singularis illa Ejus
in Ordinem nostrum benevolentia; qua Rex jam ab Ordini-
bus renunciatus; Varsaviense nostrum Nobilium Collegi-
um invisere; solus Iuvenes illic degentes ad litterarum stu-
dia publice stimulare; suamque saepius in scholasticis exer-
citationibus præuentiam polliceri; non fuerit dèdignatus. Et
certe; Auditores, hujus tam ampli; tamque potentis Regni
Monarcham; difficillimo hoc Reipublicæ tempore; tot di-

tractum negotiis, privati unius Collegii meminisse; ac ita quidem meminisse; ut frequentioris prætentia promissione, de sua in posterum certos reddat memoria: uti Regiæ Ejus in nos clementiæ clarissimi documenti loco grati semper ac memor res suscipimus; ita ex hac circa instituendam Iuventutem cura ac sollicitudine, propensissimum Illius in litteras animum conjicere omnino debemus. Est proinde, Professores illius Collegii meritissimi; est, inquam, quod vobis summe gratuler; est quod in vobis invido non nisi spectem oculo: vobis scilicet in maxima Republicæ luce positis, gloriæ ac existimationis acquirendæ amplissimum patere campum: Rege ipso, & quid amplius dicere possum? Rege ipso Serenissimo diligentia ac sedulitatis Vestræ spectatore. Utinam idem nobis sol illucescat! utinam propitiis rebus Lithvaniæ Superi Serenissimum hunc nostrum nobis concedant Principem! haberemus profecto; quo fructum nos studiorum nostrorum uberrimum percepisse gloriaremur: haberemus, quo laboribus ac vigiliis nostris levamen aliquod, ac solatium adferremus,

Quare, Serenissime Rex, quem præsentem hic oculis intueri me non posse doleo; ad Eum absentem mente animoque contemplandum aseendo: Te unum intueor gentis nostræ decus ac ornamentum maximum: Te saluto studiorum nostrorum Restauratorem amplissimum: Te clarissimum afflictis litterarum, ac totius Patriæ rebus affulsi se lumen, nobis imprimis, litteris demum ac Patriæ universæ, Tibi ad ultimum Ipsí gratulor: Vivet Nomen ac gloria tua in sempiternum; neque simul cum corpore peribit, sed ipsam æquabit posteritatem; Tuorummet sub-
di-

ditorum scriptis immortalitate donata. Te Patriæ Amatorem;
Te felicitatis publicæ Instauratorem; Te studiorum Paren-
tem ac Protectorem; nemo non agnoscet; nemo non vene-
rabitur. Hæc ætas nostra ad senium olim deflectens futu-
ris narrabit sœculis; hæc illa seræ referent posteritati: Sta-
nislao quondam Augusto Poloniæ Lithvaniæque imperan-
te, suum litteris restitutum esse vigorem: Illo præmia sta-
tuente; eruditos undique in Poloniam confluxisse viros;
Illo excitante ac alliciente; tot, tamque perfectos in lucem
editos esse libros; Illo sumptibus non parcente; tot funda-
tas bibliothecas; tot eruditorum instituta Collegia; tot ce-
leberrimas extitisse Academias. Adeste jam animis Iuve-
nes lectissimi; adeste spes ac fulera Patriæ certissima! ad
Vos enim mea jam sese convertit oratio: Vos ea, quam
omnes audire ac intelligere possetis, compello voce:
adest tempus; quo nobilissimæ disciplinæ veteri abjecto
squallore, publicam aspiciant lucem; adest tempus, quo
suus litteratis restituatur honos: Utinam hæc nostri senser-
int Maiores! Deus bone! qua illi alacritate studiis in
cumberent! Cui illi tempori; quibus sumptibus parcerent!
Hoc ego Vobis, hoc aliis aliis suæ curæ commissis narrant
incitamentum: Videte Iuvenes amantissimi; ne dolorij Vobis
sit, Coætaneos videre Vestros, uberrimum studiorum suo-
rum percipere fructum; illos sapientia duce clarissima
Senotorum ascendere subsellia; Illis Ministrorum fasces ultero
offerri; Illos ad amplissimos quosvis Magistratus sedulo ubi-
que expeti ac conquiri; illos demum apud Principem ac Ma-
gnates gratia & authoritate plurimum valere: vos solo
ab omnibus rejici ac contemni. Si quis vero vestrum
est, quod tamen ingenuitati Vestræ confitus minime spe-
ro

ro; si quis, inquam, vestrum est; qui hoc postposito stimulo, litteras ea, qua pars est, sedulitate nolit condiscere: infelicem suam in posterum sortem, non temporis injuriæ; sed suæ, pace veniaque Vestræ dicam, ignaviæ ac negligentiaræ, unice adscribat.



XVIII. 2. 520

F

XVIII.2.520